

Ya  
6118



Q.K.



Q. K. 132, 24.


II, 65

Ya  
6118

# RATIO STV.

DIORVM ET DISCIPLI-  
NAE IN PAEDAGOGIO  
AD D. AVGVSTINVM.

BASILIVS FABER



ERPHORDIAE,

EX OFFICINA TYPOGRA-  
PHICA MELCHIORIS  
SAXONIS.

M. D. LXXI.



UNIVERSITÄT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK

RECHENKUNDE

1875

VERLAG  
B. G. TEUBNER

LEIPZIG



LEGES ET RE-  
 GVLAE VITAE, MORVM PROPO-  
 SITAE DISCENTIBVS LITERAS INGENV-  
 AS ET HONESTAS, IN PAEDAGOGIO  
 AD D. AVGVSTINI, ILLIS PRAE-  
 CIPVAE QVI AD AEDES  
 CIVIVM CANERE  
 SOLENT.

I.



**S**CHOLASTICOS eos qui ad  
 ædes civium canunt, primum omni-  
 um volumus & iubemus esse studio-  
 sos pietatis & timoris Dei. Quod si  
 ab ipsis impetrauerimus, non dubi-  
 tabimus reliquos etiam ipsorum mo-  
 res fore sanabiles, meliores, & ho-  
 nestiores. Pietatem enim rectissimè  
 Cicero dixit fundamentum esse omnium virtutum, cum  
 tamen quæ vera sit pietas, & virtutes rectæ, vt homo  
 ethnicus ignorauerit. Grauius autem multò ac rectius  
 D. monet Paulus, Ad omnia vtilem esse pietatem, quia  
 promissiones habeat præsentis ac futuræ vitæ, 1. Ti-  
 moth. 4.

Meminerint igitur Scholastici, quod etiamsi ca-  
 nant illa quæ ad laudes & celebrationem DEI pertinent,  
 tamen si prophani sint & impij, ac nec pietatis nec ho-  
 nestatis morum rationem habeant, DEO nec grata ea  
 esse, nec ab ipso accipi, quemadmodum his verbis mo-  
 net Psalmus quinquagesimus: *τὸ ἀμαρτωλῶ ἐπιπρὸς ὁ θεός :*

ἵνα τί σὺ ἐκδίνῃ τὰ δικαιώματά μου, καὶ ἀναλαμβάνῃς τὴν  
διαδικίαν μου διὰ στόματός σου.

## II.

Esto igitur lex altera de modestia summa præstan-  
da omnibus illis, qui in cœtum Musicum recepti sunt, ac  
deinceps admittentur. Petulantiam quamcunq; in mo-  
ribus & improbitatem fugiant omnes, à qua ciues maxi-  
mè abhorrent, ac merito vel non tantum quantum pos-  
sent canentibus conferunt, vel beneficia sua prorsus de-  
negant. Accedit ad hoc, quod mores incompositi &  
improbi non nocent tantum canentibus, & eleemosynas  
civium ac beneficentiam imminuunt, verum etiam tum  
professionem Scholasticam dedecorant, tum Pædago-  
gio & præceptoribus infamiam accersunt.

Eant igitur ordine Scholastici binis semper con-  
iunctis, qui posthac inter canendum, propter voces con-  
iungendas, copulari facile possunt.

Ne quis alter alterum offendat aut prouocet ad liti-  
gandum. Rixas enim omnes & contentiones omnibus  
interdicimus, vt & similtates, nugas & colloquia omnia  
ociosa.

Gubernatoribus pro officio suo monentes, vel pe-  
tulanter, vel contentiose, vel immodeste quid agentes  
audiant ipsiq; obtemperent: non respuent contumaci-  
ter, aut illudant, quod fieri tamen resciscimus.

Ne properent nimium, aut ædes vllas cantione non  
salutatas prætereant, ne eleemosynas civium contemne-  
re ipsi videantur, Quas posteaquam acceperint, gratias  
agant reuerenter, atq; vt decet, modestè.

## III.

Lingua

Lingua Latina non in Pædagogio solum, verum  
etiam in plateis, & maximè quidem eos qui ostiatim ca-  
nunt, vti prorsus volumus omnes, ac in non obtempe-  
rantes animaduertere duriter solebimus. Quid minus  
enim deceat, quam ab illa Lingua abhorrere eos qui se  
eius studiosos profitentur? quemadmodum alibi prolixè  
monuimus.

Scio foueri in honesta & celebri quadam Repub-  
lica Scholam laudatam & egregiè instructam ac consti-  
tutam, quæ tamen hac vna laborarit infamia aliquando,  
quod ciues quererentur, Scholasticos per plateas euntes,  
vel funera pro more deducentes, nulla vti voce Latina:  
A qua infamia vero vendicare Pædagogium nostrum,  
quantum in nobis erit, diligentissimè conabimur. Me-  
minerint igitur illi qui canunt, se rariore aut nullo poti-  
us Linguae Latinae vsu, non sibi solum conciliare infamiam,  
ac suis nocere elemosynis, verum toti etiam  
Scholæ.

#### III.

Absentias vident atq; experiuntur ipsi qui canunt,  
sibi nocere. Non enim tantum in distributionibus ac-  
cipiunt quantum reliqui, qui nunquam abfuere. Ha-  
beant igitur sui commodi rationem omnes, ac nisi ex-  
trema coacti necessitate absint vnquam, diebus præser-  
tim Dominicis, quibus partem ciuitatis potiore &  
maïorem cantionibus saluari consuetudo est. Si qui  
vero abfuerint diminutione stipendij sui mulctabuntur,  
& ante diem Mercurij, vt cum cæteris canant, nulla ipsis  
dabitur potestas.

#### V.

Cantiones vsitatas, à quibusdam negligenter, aut  
prorsus etiam non describi, queruntur gubernatores.

A 3 Proinde

Proinde monemus, vt officium cantiones describendi, singuli nobis exactissimè probent, nisi aut præteriri sua parte stipsis, aut excludi ex hoc cœtu prorsus voluerint. Habeant igitur singuli cantiones descriptas, ijsq; vtantur in canendo. Memoriter enim canere neminem volumus, etiamsi exactè vocem præstare suam, sibi posse videatur, ne qui errantes, memoria freti temere sua, harmoniam perturbent, & cum pudore ab ædibus ciuium recedere cogantur.

#### VI.

Quæ causa est, quamobrem neminem deinceps, in cœtum canentium admissuri simus, qui non suam prætate vocem, & didicerit diligenter, & præstare expedite poterit: At nec quidem peti à nobis volumus, vt ignari rationis canendi sine errore in eum cœtum recipiantur. Domi igitur diligenter quæcunq; canenda erunt exercent ac familiarissima sibi faciant, ne Musicam & harmoniam deforment. Musicam turbare, inquit Aristoteles, turbare Rempub; est. Quod dictum tametsi ad alias res accommodet, tamen nobis eo abuti quasi, atq; hoc loco interpretari ita & accommodare libet, quod perturbatio harmoniæ morum perturbationem etiam adferat Rebuspub. Turbantur enim hominum animi, qui in diuersa postea erumpunt de literis & scholis iudicia. Pertinet autem ad eos quos dico mores, tum negligentia in cantionibus describendis atq; exercendis, tum curiosæ ac petulantes circumspersiones, & alia, ad quæ dum inter canendum, pueri sunt attentis, eo quod agitur neglecto, harmonia vocum & consensus sæpe perturbantur.

#### VII.

Præstetur fidelitas ab illis qui ex ædibus salutatis  
eleemo-



eleemosynas accipiunt, fidelitatem autem illam dico, ut nemo accipiat sine teste. Ne abeundo igitur omnes properent, vno tantum aliquo ad ostia relicto, Sed expectent simul plures, qui quantum sit collatum, testari possint. Nam & ciues ipsos audio in suspicionem vocare, vnius solum præmiolum accipientis præsentiam & fidem.

### VIII.

Qui hospitia mediocria habent, in quibus aluntur, ne se recipi expectant in canentium coetum, quorum plerique victu apud ciues destituuntur. Idem faciant etiam, quibus parentes mediocris sunt fortunæ & rei familiaris, in pagis vicinis. Pauperum enim tantum qui discendi ac progressus in studijs faciendi cupidi sunt, ratio habenda est, Quo consilio etiam hæc consuetudo petendi à ciuibus eleemosynas, in hunc ludum introducta primum est.

### IX.

Eleemosynas acceptas nemo male collocet, sed ad victum & studia ipsius vtatur. Qui secus fecerint, è coetu nostro dimittentur.

### X.

Si qui è coetu Musico de via accersentur aliquando in conuiuia, pecunias acceptas in commune conferant, nec inter se veluti antehac consueuerunt partiantur soli. Accersiti autem & inuitati in ipsas ædes, modestiam summam declarent, & oratione inter se vtantur Latina: Non bibant: non iocentur: non tumultuentur: Discedere iussi, sine strepitu eant & taciti: Accantiones alias, nisi pias & sacras, etiamsi præmijs inuitentur, nullas decantent. A prophanis enim cantionibus abstinere volumus omnes.

Guberna

### XI.

Gubernatores rectè inter se distribuant vocum *αὐτοῦ*, eos præsertim qui canunt, quem sic vocant Discantum seu cantum rectius & Altum. Dent operam etiam optimis, lectissimis & elegantissimis quibusq; cantionibus, sed eiusmodi tantum, sicut monuimus, quæ à pietate & religione non sint alienæ.

### XII.

Singulis etiam diebus in Pædagogio exerceri volumus ante dimissionem, elegantem aliquam & grauem cantionem.

Et alioqui etiam cœtum canentium conuenire volumus in Pædagogio, ibidemq; ab eo exerceri & institui, quæ canendæ erunt cantiones, ne in ædes alienas Scholasticos introducant, & hospitibus sint molesti.

Quia vero & temporis progressus & varietas bonas interdum cantiones suppeditat, mandamus canentibus ne eas negligant, sed ijs vtantur.

### XIII.

Si qui è numero eorum qui canunt, Pædagogium non assiduè frequentauerint, sed abesse ex eo, & ad cantiones tantùm conuenire diebus constitutis consueuerint, expellentur.

### XIIII.

Numerum canentium Scholasticorum vltra sexagenarium excedere non sinemus: Quo igitur completo, cæteri qui recipi voluerint expectent, donec aliquis ex eo cœtu hinc discesserit, in cuius locum se substitui à nobis petat.

### XV.

Rogati

Rogati & accersiti Scholastici in Pædagogio ab illis, qui cæteris præsunt Ludis, quas vocant, Parochialibus, vt cantiones, vel diebus festis, vel in nuptijs adiuuent, obsecundent ipsorum voluntati, ac gratificentur omnes. Præstent & in templis modestiam eandem & pietatem ac mores, quos vt vbiq; circumferant locorum, in Pædagogio sedulo commonefiunt.

## XVI.

Si qui Legibus illis subiicere sese, & obtemperare noluerint in eos quàm maximè animaduertetur serio, Ac nec pueris quidem, ex reliquis Ludis qui cum nostro canunt coetu, ipsdemq; beneficijs vtuntur, poenæ deerunt. Qua in re veniam nobis dari à præceptoribus ipsorum amanter petimus. Si poenas subterfugerint, exclusionem multabuntur.

Nunc veteres huius coetus leges, quas non minus quàm nostras ratas esse volumus, repetimus.

### I.

Qui ex Scholis Parochialibus canentium coetui adiungere sese voluerint, non admittentur prius, quàm testimonium à suis præceptoribus attulerint.

### II.

In hoc canentium coetu nullus sit, nisi vel in nostra, vel in alia certa Schola, sub certo discat præceptore, & spem aliquam profectus seu parandæ eruditionis, de se polliceatur.

B LEX

LEX DE MORIBVS EORVM  
QVIBVS HOSPITIVM IN MO-  
NASTERIO CON-  
FERTVR.

**Q** Vi in vrbe hospitijs Scholastici destituti, tantisper dum hospitia foris quærere sibi & comparare possint, recipiuntur, sint quàm maximè taciti, atq; intra sua conclauia vel Cellas sese contineant: Non hinc inde in Monasterio vagentur: non ocientur: non tumultuentur: non eò veniant, vbi Rector in sua viuít cum suis habitatione, nisi accersiti. Offerant suam operam, fidem & officia ciuibus: Explorent à reliquis Scholasticis, sicubi sit occasio & potestas hospitium & pædagogiam nanciscendi. Qua in re Rector vt rationis hospitiõrum ignarus, ipsos iuuare non potest.

Ne quis alterum accedat in suam Cellam, nisi quærendi ex eo aliquid, quod ad studia pertineat causa: Ac multo minus concurrant omnes in vnum aliquod conclauæ, vt ibi libere colloquantur.

**Lingua deniq; Latina, vtantur omnes.**



RATIO ET  
SERIES LECTIONVM IN  
PAEDAGOGIO AVGVSTI-  
NIANORVM.

DIEBVS LVNAE ET MARTIS.

Mane.

Hora VII. Exercetur in Grammatica vtracq̃ classis.

VIII Exponuntur Epistolæ Ciceronis.

IX. Exercentur in præceptis Dialectices pri-  
mani, Secundanis præleguntur Bucoli-  
ca Virgilij.

A prandio.

Hora I. Exercentur in Musica Scholastici omnes.

II. Legitur Terentius, cui & Plautus adiun-  
getur.

III. Proponitur Grammatica Græca prima-  
nis, Secundanis vero Græcum Elemen-  
tale.

DIEBVS IOVIS ET VENERIS.

Mane.

Hora VII. Proponitur Syntaxis vtriq̃ classi.

VIII. Præ-

VIII. Præleguntur præcepta Rhetorices primariis, Secundariis traduntur, Aurea Carmina Pythagoræ, vt exercitium habeant Elementalîs Græci.

IX. Enarratur AENEIS Virgilij vtriusq; classis.

A prandio.

Hora I. Exercetur in Profodia vtriusq; classis.

Quia vero & Historiarum cognitio ad comparandam eruditionem plurimum habet momenti, atq; vsum certum & necessarium in omnibus professionibus, sine qua etiam nec consilia, nec actiones gubernari in quocunq; possunt vitæ gerere, proponitur huius bidui hora II. Epitome Chroni-  
II. corum, in qua Historiæ explicantur ab initio mundi, ea tum breuitate, tum perspicuitate, qua iuuari studia iuuentutis poterunt plurimum. Nescire, inquit Cicero, quid antequam natus sis acciderit, est semper esse puerum.

Hora III. Exponitur Poëma Theognidis vtriusq; classis.

DIE SATVRNI.

Mane.

Hora VII. Legitur Catechesis Philippi Melancht. primariis, Secundariis discunt & recitant Catechismum Lutheri.

VIII. Ex-

VIII. Explicatur Euangelium Dominicale, quam expositionem sequetur, Enarratio Epistolarum etiam Dominicalium. Adiungitur & pro occasione data ex doctrina seu Euangelij seu Epistolæ Dominicalis, interdum Psalmus.

## DE EXERCITIO STYLI.

Consumatio studiorum, facultas est Latinè dicendi & scribendi expeditè: Et haud scio, an vlli vel exercitationi vel arti impendi opera vtilior, & fructuosior possit. Proinde exercitio styli horas aliquot bidui per septimanam tribuimus, Ita vt die Mercurij exhibent Argumentum soluta factum oratione vtracq; classis: Die vero Saturni, Primani exhibent Carmen, Secundani vero breuem aliquam Profam, illi nimirum, qui Versus facere nondum didicerunt.


## DE MORIBVS ET DISCIPLINA.

In mores improbatos, petulantes & efferatos, vt nunc sunt iuuentutis, acerrime quotidie inuehimur, ac deinceps inuehemur, quia res in hoc maximè loco postulare id vehementer videtur, perpetuo. Porro ad mores eos quod attinet, eorum rationem cognosci cupimus ex libello nostro, quem de disciplina Scholastica scripsimus, & complexi in eo sumus quæcunq; de vita decente, officio & moribus Scholasticorum præcipi debent



ram  
um  
pro  
seu

bent ac possunt. Quem libellum perpetuo etiam in  
manibus discentium esse volumus. Nam & publicè  
eum proponemus, quamprimum Senatus amplissimus,  
tertium nobis Magistrum, quod speramus, ad=  
iunxerit. Quod cum factum fuerit, præ=  
legendur etiam præcepta Arithmeti=  
ces, & addetur vnus adhuc  
autor Latinus.



di  
vel  
ior  
per  
ent  
Die  
ni  
us

vt  
ac  
o  
o  
ci  
a  
=  
at



von Ya 6118, QK

f

ULB Halle 3  
004 783 220








V. N. 132, 24.

II, 65

Ya  
6118

**RATIO STV.**  
**DIORVM ET DISCIPLI**  
**NAE IN PAEDAGOGIO**  
**AD D. AVGVSTINVM.**

**BASILIVS FABER**



**ERPHORDIAE,**  
**EX OFFICINA TYPOGRA-**  
**PHICA MELCHIORIS**  
**SAXONIS.**

**M. D. LXXI.**

